

<[sida 4](#)> Iudis maxima pars diei consumitur: unde, quæso, suppetunt res? Ex mercatura? Minime, sed ex ære alieno.

Alterum genus est corum, qui absolutis studiis academicis, aut collegia intrant, aut magistratus civiles ambiunt, aut judicum ordini associantur, aut ceteris muneribus publicis funguntur, maximisque demum honoribus afficiuntur; quorum ergo auctoritas maxima in civitate habetur. In hoc ordine non solum fides in negotiis publicis privatisque exspectanda est, sed etiam religio ac virtutes singulares, quæ ex vera religione sluunt, ut: abstinentia, temperantia, patientia, modestia, pietas etc. Sunt enim docti viri, homines eruditi, omnibusque ingenii facultatibus instructi: habent etiam philosophandi facultatem, qua si recte uti velint, ad certum quoddam propositum aut decretum in religione pervenire debent.

*Sed religio non discitur in Scholis.* Quamquam olim sapientes habitu suere, qui supra vulgus sapere putabantur: et sane, si vera sateri velimus, philosophia majorum, majorem redolet sapientiam, quam recentiorum. Erat enim popularis, et ad captum hominum accommodata. Versabatur cogitatio antiquorum circa mores hominum, in emendadis vitiis naturæ humanæ plurimum temporis atque studii consumebatur. Hinc mirabiles virtutes peperit philosophia eorum, qui vere philosophi audiebant, scilicet: miram animi constantiam in maximis periculis, et in ipsa morte immortalitatis magnam spem; item fummam in doloribus patientiam, omnium voluptatum abstinentiam, in omnibus animi affectibus temperantiam; virtutes, quas sola religio Christiana postea produxit. Plurima sunt exempla <exempla> eorum, qui injurias non modo ho[sida 5](#)>stium et inimicorum, sed etiam amicorum et civium æquo animo serre sustinuerunt. Ubinam nunc tales sunt philosophi? Monstrate, si potestis. Sed ne unicum quidem invenietis, si vel lucerna media die quæratis.

Versantur hodierni in speculationibus inanibus, in objectis astra superantibus, in sublimioribus idearum sphæris; contemplatur obstupesactum vulgus lapidem philosophicum nubibus involutum, miratur et quærit: quid est quæso? Non intelligo. Et sane quis est, qui intelligere potest sapientiam semet ipsam superantem? Quis capit profunditatem idearum obscuratam contradictionibus contrariis? Sicut: A, est A, non ergo B, non C, non D; ergo: A est limitatum, nec definitione opus est. Vel hujusmodi propositio: *unum involvit alterum tamquam contrarium sui; alterum involvit tertium, tamquam medium.* Quis est qui tali deductione facta trinitatem negaverit? Verum enim vero, si sancta trinitas firmioribus fundamentis non niteretur, quam istiusmodi argumentis, de quibus nemini persuadebitur: jam pridem unitatis vinculum ruptum videremus.

Gloriatur hodierna philosophia de contrariis uniendis, de adversis reconciliandis, de oppositis confluentibus, quibus rebus omnis controversia tolletur, et quidquid contrarium videtur, reconciliabitur; neque tamen contradictionem in dictis et factis philosophorum tollere potest.

Nam vita eorum, si non est vituperanda, non est admodum laudanda: in cathedris sublimes, in suggestu singulares, sed in soris vulgares homines nullis virtutibus insignes; in administranda republica vix